



NOBILIBVS, CLARISSIMIS,  
PRVDENTISSIMISQVE VIRIS, AC  
DOMINIS CONSVLIBVS, PROCONSVLIBVS, CÆTERIS-  
QVE SENATORIBVS SACRI ROMANI IMPERII  
ciuitatis Colonienſis Agrippinæ,

IOANNES DE CASTRO S. P.



*ETVS hæc conſuetudo eſt, ampliſſimi, prudentiſſimiq; viri, vt, qui aliqua ingeniſt industriæq; ſuæ ſpecimina in publicum emittunt, ea magnis viris dedicent; eaq; oblatione partim ſuam erga illos obſeruantiam & ſtadium declarent, partim eorum beneuolentiam ac fauorem aucupentur; quin & monumenta ſua eorundem patrociniſo aduerſus ini- quorum obtreçtationes muniant. Cum igitur & ego in iucundiſſimo Muſices ſtudio*

EPISTOLA DEDICATORIA.

mea industria documentum aliquod in lucem edendum existimarem, eiq; idoneis patronis opus esse cernerem; non potui aptiores quam Vos in hoc rerum publicarū theatro patronos circumspicere. Ut enim taceam harmonicam politia concinnitatem, qua multis magnisque ciuitatibus vrbs vestra sic praeiucet, vt toto orbe celebratissimum eius per multa iam secula nomen sit; omnia scientiarum genera, liberalia praesertim, sicut summo semper fauore complexi estis, ita etiam magnis honoribus semper ornauistis. Testantur id scholae; testantur tot eruditionis virtutumq; studiis dicta collegia; testantur quae longe lateq; per totam Europam ex vrbe vestra promanant omnis generis doctrinae monumenta. Cuius magnificentiae consideratio quam magnam in animo meo admirationem excitauit, tam ardens etiam sui studium in me accendit. Ac diu sane hanc obseruantiam meam magnificae amplitudini vestrae luculento aliquo argumento probare cupiui: sed aliās alia mihi hucusq; obstitit fortuna. Tandem cum haec quinq; vocum Moteta studio & diligentia non vulgari confecissem, eorum dedicatione meum vobis animum patefacere visum est. Vos pro singulari humanitate vestra, munusculum hoc, quam deuota offertur obseruantia, tam prolixa benignitate accipere dignemini. DEVS opt. max. in pia feliciq; rerum administratione vobis vestraq; reipublicae magis ac magis benedicat.